

Ille. contra insultere postularis de-
crevit, atque è domo aufugiens
paterna, in Conventum se recep-
it Goatemalensem, & perinde
ac si vestem indutus esset Fran-
ciscanorum, in omnibus ipsos,
sive in choro, sive alibi, quam-
tumvis molestis & arduis exerci-
tationibus, die comitabatur & no-
cte, super terram in cavadio cu-
bans ut somnum carperet. His
commoti Prælati, tyronibus illum,
pro ut optaverat, ad junxere, quos
inter biennium ferme exitio con-
nata peregit, quousque quinto
decimo anno completo, destina-
tum ad inchoandam probatio-
nem tempus accessit, quo etiam
alacriter acto, & omnium exem-
plo, solenni se Deo tradidit pro-
fessione. Philosophiam dein &
Theologiam, quo erat ingenio,
& ad laborem comparatus animo,
à Magistris accepit, tantis qui-
dem progressibus, ut eisdem do-
cendis Facultatibus judicatus fue-
rit aptissimus. Sacris initiatus,
non dum tamen Sacerdos, Con-
cionator electus, non sine plau-
su à Goatemalensibus est auditus;
postquam verò ad Aras faciebat,
procurandæque Indorum saluti
maturus erat, hoc sibi negotium
impigrè tractandum assumpsit,
quod ut fauste perageret & uber-
rimè, quatuor gentis idioma-
ta (scilicet *Cakchiquel*, *Quiche*, *Zu-
tugil*, & *Mexicanum*) ita didicit,
ut in eorum singulis non doctus
modo fuerit, sed eximius, nemi-
nique secundus, & in prima qui-

dem quam diximus linguâ, Ma-
gisterio functus, multos eam do-
cuit Sodales, librumque, mox lau-
dandum, conscripsit. His instru-
ctus dotibus, peritiâque insigni in
omni Theologiâ, sive quæ ad pa-
lestram attinet, sive quæ mores
concernit, sive quæ ad ascetas
spectat, sive quæ sacras interpre-
tatur litteras, instruendis Popu-
lis sese dedit multis in locis, pro
ut Superiorum jussu fuit destina-
tus. Frequentibus concionibus,
confessionum auditione, ceteris
que muneribus sacris intentus,
pro Dei amplificandâ gloriâ, & sa-
lute animarum promovendâ, be-
nè longam vitam traduxit, obiit
quæ septuagenarius anno 1610.
in Conventu de Monofthenango,
ubi corpus ejus, post multa tem-
pora, construendi Sacelli majoris
causâ, effosum, integrum fuit
reperitum. Scripsit idioma *Cak-
chiquelo* insignem pro Indis in via
spiritus deducendis librum, cui
titulum fecit *Scala Cæli*.
In quo mysticam sic tractare
Theologiam affirmat Chronogra-
phus statim citandus, ut opus, &
praxim Nostri in cælestibus re-
bus spiret, & doctrinam, quæ erat
imbutus, egregiam. Habetur
etiamnum in pretio & præ mani-
bus à Socijs & alijs. Quæ reuli-
mus acta dedit typis excussa Fr.
Franciscus Vazquez in Chronicis
dictæ Provinciæ de Goatemala
tom. 1. lib. 3. cap. 48. pp. 614.
615. 616.

1641 FR. ALVAREZ DE SO-
RIA BRIVIESCA, Mexicanus Do-
milio, qua Natione fuerit &
Patria nescimus; Regalis Ordinis
Beatissimæ Virginis MARIÆ de
Mercede alumnus, edidit idio-
mate hispano
Concionem de S. Petro Nolasco.
Mexici, typis Viduæ Bernardi Cal-
deron 1661. in quarto.

1651 D. AMBROSIVS DE LI-
MA, ET ESCALADA, Natione Me-
xicanus & Patria, inter egregios
Mexicæ Academiæ cultores Me-
dicinæ multum cfulsit, non mo-
dò popularibus & nobilibus cha-
rus, sed verò etiam Principibus
viris, qui eum sibi à salute esse
voluere. Quod autem annis su-
prioris seculi 91 & 92. terræ
ceteroquin teracissimæ Novæ His-
paniæ sterilitate laborarent, pro-
egentium præcipuè sublevandâ
miseriâ cogitantibus Urbium Re-
ctoribus in posterumque timen-
tibus, exagitarum jam pridem
dubium anno 1677. de frumen-
to quodam quod *Albulum* dicunt,
rursus exortum fuit: cumque ad-
versus illud Protomedici eo tem-
pore Mexicani sententiam tulif-
sent, per inde quasi valetudini
insensibilissimum esset habendum,
ut sub inde publicis cautum fuis-
set Decretis, ne usui adhibere-
tur humano, imò ne quidem
terræ commendaretur, Nostro
contra sentiente, è re sua atque
Reipublicæ bono credidit, cau-
sam prohibiti agere & extorris
frumenti, palamque facere haud

noxium illud esse, imò verò uti-
lissimum, proptereaque seminari
oportere, eoque citra periculum
& formidinem vesci homines
posse, tunc in primis, cum no-
bilitatis copia non suppetebat. Et
porrò obtinuit, ejus deferrente
opinionem Excmo. Comite de Gal-
ve, D. Gaspare Sandovalio, qui ad
clavum Pro-Rex aderat Regni
Mexici, cuique nuncupatum vol-
uit Ambrosius Opusculum ea de
re antehac à se compositum his-
pano sermone, scilicet

*Spicilegium de natura commodis
que frumenti, quod vulgo dicunt Al-
bulum, unaque ad fundamenta con-
tra ipsum à Proto-Medicis allegata
Responsum.*

Editum Mexici, apud Harèdes
Viduæ Bernardi Calderon 1692. in
quarto, in quo quidem cum de re
Medicâ, tum etiam de rusticâ eru-
ditè & doctè ad propositum agit.
Habemus illud t. 59 Collect. nost.

1661 FR. AMBROSIVS MAR-
TIN, Domicilio Mexicanus, sin-
minus Natione & Patria, quas
subrice is qui ejus nobis co-
piam fecit Fr. Alphonsus Franco
in Historia Provinciæ S. Jacobi
Mexicæ Ordinis Prædicatorum.
Ex hac in Familiam ejusdem In-
stituti apud Insulas Philippinas à
SS. Rosario dictam, commigravit,
atque ut gentiliū in christianis
institutionibus provideret utilita-
ti, eorum qui Cagayani audiunt,
idioma penitissimè callere consti-
tuit secum atque rimari, felici
adco successu, ut libros, quos sub-

jungimus, ea usus linguâ confriperit;

Artem pro ipsa addiscendâ.

Dictionarium ejusdem Idiomatis.

Quæ & si Franco opera inter typis excussa numeret in Catalogo Scriptorum Mexicanæ Provinciæ, hæctenus latent nos, & facile quidem, cum rari admodum sint Mexici libri, typis dati Manilæ.

167. FR. AMBROSIVS A MATRE DEI, Natione Mexicanus, ortus est Goatemalæ, & Mexici Dominicanorum Ordinem amplexatus in Conventu Imperiali, e quo, zelo ductus lucrandarum apud Philippinas Insulas animarum Fidei carentium, in Provinciam SS. Rosarij se contulit anno 1595. Ubi accessit, delegatus à Superioribus fuit in Novam Segoviam, recens detectam, & adhuc Paganismi tenebris obvolutam, ut lumen in eam Catholicæ Fidei inveheret. Constitutus in eâ, totum se ad gentis idioma noscendum vestigandumque intimius dedit, idque ingenio affectus est & labore, ut elegantius ac rectius omnibus, qui id callucrunt, loqueretur & scriberet, Magisterque fuerit omnium, peritissimorum etiam in difficillima Lingua, Sodalium, quibus instruendis atque juvandis libros scripsit infra dicendos. Virum fuisse exemplis religiosæ vitæ conspicuum, eximio prædium dilatatæ christianæ religionis zelo, & multâ clarum virtu-

te author est Illmûs. D. Fr. Didacus Aduarte, Novæ itidem Segoviæ Episcopus, ejusdem Provinciæ Chronographus lib. 2. cap. 29. p. 190. editionis Manilensis de 1640. quam præ manibus nunc unam habemus.

168. Inde etiam accipimus multa, queis Deum suum illustriorem Ministrum reddidit, mira, tejus oratione interveniente, in confirmationem, quam prædicabat, Fidei parrata. Aderat in Oppido *Avulva* dicto, cum prægrandis cilibani pro cremandâ calce machina cadens, incautum oppressit inibi agentem hominem, nec tamen occidit, quod suis Nolter fusus ad Deum precibus intercesserit. Mirabilis verò habitum est ibidem, quod nuntiantibus ei Indis, feminam infidelem obiisse in agro, Ambrosio que ut eam sibi afferent mandante, ubi defunctæ pridie cadaver aspexit, in sepulchrum, quod effosum erat, proximè conijciendum, dolore correptus, precatusque ex intimis Deum, moveri cepit scævina & loqui, deinceps roborari; quam Fidei Christianæ elementis institutam baptizavit, atque in vivis reliquit. Haud abimile quod subiungimus. Peregrè agebat apud Abulugios Indus quidam ex Provinciæ de locos, quem graviter agrotantem, omnique destitutum auxilio, qua erat Nolter charitate, secum in Ecclesiam deduxit, brevique, ut qui adierant omnibus

visum est, mortuum christiano more suffragijs juvans, aquâ lustrali semel & iterum ac tertio aspergens, indicia defunctus vitæ dedit, qua donatus, restitutus que valerudini, suis se restituit, Ambrosio gratus, multo verò gratior Deo, devotiorque aquæ lustrali, cui Nolter beneficium acceptum retulit, pro ut, Superioribus jubentibus, fassus est, alia que per multa miraculis quidem simillima, quæ ut plurimi Christo jungerentur fide & amore, Servator ipse operari dignatus est. Certè, quod isthæc suis barbari homines oculis cernerent, multotiesque morientes penè Indos sanitati restitutos haud alio phatmaco quam Baptismi Sacramento, & his paria, de quibus citatus Aduarte lib. 1. à p. 157. multis sequentibus, Christianis se, quod pridem nimis recusaverant, aggregarunt. Nolter porro, constructo in Dei honorem Templo sub invocatione S. Thomæ Aquinatis Doctõris Angelici, Doctõr & ipse commissa sibi gentis, ad Dei ipsam cultum, idolis proculcatis, deduxit, sacrisque deditam ecclesiasticis, egregiè fovit, concionibus publicis, privatis hortationibus, exemplisque vitæ apostolicis, ut subinde mira Indi pietate floruerint. Hanc postquam supra triginta annos provinciâ sustinuit, anno 1627 mense Aprili cessit. Varia pro Evâgelicis Operarijs inibi laborantibus admodum proficua reliquit scripta, nempe

Artem pro Novæ Segoviæ idioma te addiscendo.

Ejusdem idiomatis Dictionarium.

Evangelia eo etiam explicata sermone, & exempla varia.

Articulorum Catholica Fidei declarationem.

Jesus-Christi Servatoris nostri Passionem, aliaque per utilia, dictionis elegantia proprietateque ab illius peritissimis commendata, pro ut legere est in supra nominato Illmõ. Aduarte pag. 190. Noltri pariter meminit Fr. Alphonsus Franco in 2. parte Historiæ Provinciæ S. Jacobi Mexicanæ lib. 3. à cap. 5. & Pine-nelus in Occidentali Bibliothecâ col. 724.

169. D. AMBROSIVS MELGAREJO ET APONTE, Natione Mexicanus, apud insignem Habanensem Insulam natus nobilissimis genitoribus, lucem generi ipse suo addidit. Primis in natali solo transactis annis & peractis studijs, majoribus operam navaturus Mexicum petijt, atque ut Academiam nostram frequentaret candidatus Jurisprudentiæ, Collegis Commendatorum S. Raymundi adscriptus, eorum etiam pro tempore Præfæs fuit. In utroque versatus jure, laureâque redimitus, nec praxim minus pro Judicum subsellijs, quam Scholarum doctus velitationibus, pro causis protegendis apud Regium Mexicicum Senatuum probatus, strenuè munus est executus. A Catholico Rege in

Goatmalense Forum adlectus rerum capitalium Prator, tum etiam Fisci Procurator, ac demum Auditor, his egregie functus muneribus, dein Mexicanis cooptatus Togatis Regijs, primum Criminalis Quæstor, tum etiam pro Regis Arario ac Jure Defensor, ac demum Auditor, ardua quæ que negotia, pro ut Sapientem decet hominem expedit. Collegij Majoris Mexicci S. Mariæ & omnium Sanctorum Protector, de nobilibus & litteratis Alumnis benemeritus fuit. Reipublicæ quoque, humanitate, pietate, alijs que acceptus dotibus, multi à Principibus viris est habitus, constitutusque à Rege ut ab Excmò. Duce de Arion, Marchione de Valero, ipsiusque nuper vices gerente rationem obiti amplissimi muneris posceret; suo functus est ritè, ut & cæteris curæ suæ demandatis. Multa quidem pro his scripsit & varia, quorum cum nobis nos fit copia, quòd in schedis manserint, typis datam afferimus.

Allegationem in Causa Immunitatis Ecclesiastica, quam falsario cuidam Regia Subscriptionis atque Sigilli minime suffragari contendit. Mexici, apud Hæredes Viduæ Michaelis de Ribera 1730. in folio.

† 170 D. AMBROSIVS MELGAREJO, clarissimi, quem præcedenti dedimus loco, Togati filius, Togatus & ipse, è Trium viris Mexiccis, Natione Mexicanus, Goatmalæ agentibus genitoribus

lucem aspexit, primasque disciplinarum hausit institutiones. Parentem in Mexiceum Arcopagum à Rege promotum secutus, nomen Academiæ nostræ dedit Jurisprudentiæ operam navaturus, strenuè adeo & feliciter, ut & utriusque laureas juris retulerit, & sua spontè theses in majori Aula, coram frequentissimâ doctissimorum hominum multitudine propugnaverit, cum ad Canonicam Facultatem spectantes, tum etiam ad Civilia præscripta, è 24. titulis erutas, numero 200 graviores & difficiliore, problematicè ad argumentum placitum manè & vespere, versatili & promptissimo ingenio, multaque & variâ sententiarum dives eruditione, modò affirmantem, modò negantem opinionem, pro ut concertatoribus ardebat, substinens, & ab oppositis objectionibus vindicans, dignus propterea quem eruditissimi quique mirati fuerint, multumque laudaverint à doctrinæ ubertate sibi adhuc tyroni studiosissimè comparatâ. Oratoribus Regij Auditorij adscriptus, causas ubi egerat, Mexicæque Præturâ defunctus, in Hispaniam profectus, & à Sapientissimis viris probatus, Catholico que Regi nostro commendatus, pro Mexicanâ Curia Triumvir adlectus, demandatam sibi provinciam ad præsens usque tenet, ut æquissimum decet Judicem, Regiumque Consiliarium. Edidit vernaculo hispano

Propugnationem juris Metropolitanæ Ecclesiæ Mexicæ decimalis. Mantuæ Carpentanorum. ...

† 171 D. AMBROSIVS FRANCISCUS DE MONTÓYA ET CARDENAS PONCE DE LEON, Natione Mexicanus, Angelopoli nobilissima ortus stirpe, atque ut ipsam decebat, studijs omnique institutus humanitate, postquam Regi inservierat atque Reipublicæ claris gestis Præturis, statui se Ecclesiastico addidit, initiatusque Sacerdotio, litteris, quas pridem coluerat, prophanis & sacris multas pro animarum regimine adjunxit, & Pærciæ de Topoyango Curio datus, reliquum vitæ tempus in pascendo commisso sibi grege transegit. Non nulla ingenij monumenta reliquit, in primis idiomate hispano

Narrationem historiam solennis Angelopoli celebratæ Proclamationis Philippi IV Hispaniarum & Indiarum Regis, Angelopoli....

Apem mysticam, seu S. Ambrosij Doctoris vitam paneyricis illustratam commentationibus,

Quam prælo paratam habebat nuncupandam Marchioni de la Laguna Novæ Hispaniæ Proregi, ut testis est D. Didacus Bermudez de Castro in Syllabo Angelopolitanorum scriptis illustratum ad nos transmissio, qui Didacus apud se Authographum esse fateatur; atque multa alia, cum poetica, tum etiam oratoria Mss. Nostrum reliquisse addit.

Symbolum vitæ Christianæ, ordine dispositum alphabeticò,

Quem Mss in quarto se vidisse Author est nobis Presbyter Tlascalensis D. Vincentius Joseph de Torija, eruditus omnique dignus fide.

† 172 D. AMBROSIVS DE ZAYAS BAZAN, Natione Mexicanus, Patria Habanensis, nobili natus genere, gestisque illustris, pro ea qua polebat cruditione destinatus ab Insulæ Governatore Di Gregerio Guazo, ut secundum Catholici Regis nostri mandata totam Cubæ Insulam, Urbemque ejus insignem, Habanam, libro complecteretur, paruit, strenuam que in eo concinnando operam posuit non absque Regis, cui traditus liber fuit, beneplacito & laude. Titulum illi hunc fecit

Descriptio Urbis Habana, Insulae que Cubensis:

Mss transmissus fuit ad Regium Indiarum Consilium, uti litteris ad nos datis asseruit admodum Reverendus M. Fr. Joseph Gonzalez Afonseca Dominicanus, de quo suo infra loco sermo erit.

Meminit hujus operis D. Antonius de Leon Pinelo in Bibliothecâ Occidentali editionis novissimæ tom. 2. col. 585. asserens, tres in eo Historicas haberi narrationes, alteram Governatorum Insulæ ab anno 1549. ad usque 1725. secundam ejusdem Pontificum, postremam autem Mexicanensium Proregum; itaque

reque Mss. authographum apud Bibliothecam Barciæ.

† 173 D. AMBROSIVS DE SOLIS, Mexicanus, ad minus Domicilio, nam Patria & Natio nobis est in ambiguo; musicæ doctus, ejus in Metropolitana Ecclesiâ deditus usui sacro, Musas egregiè coluit, atque etiam ad numeros opportune nonnunquam cecinit, hispanis complexus carminibus Heroum acta celebrium, ut scriptis reliquit his titulis:

Brevis summa vite, obitus, & funeris Illmi. D. D. Feliciani de la Vega Archiepiscopi Mexicani. Mexici, ex Typographia Joannis Ruiz 1643. in quarto.

Monumenta Dei Servi Gregorij Lupecij. Mexici ex eadem Officina 1663. Extat tom. 36 Collect. nostræ.

Altare Sacellumque in Ecclesia Metropolitana Mexicea Deiparentis Imaginis de la Antigua dictæ numeris descriptum majoribus. Mexici, apud Hippolytum de Ribera 1652. in quarto.

† 174 FR. ANASTASIUS ANTONIVS PEREZ, Natione Mexicanus & Patria, Provinciæ S. Evangelij Seraphici Patris S. Francisci filius, Apostolicus Notarius Sanctique Inquisitionis Officij, pro expurgandis libris destinatus ab eodem Tribunali Revisor, Prædicatoris in Conventu Primario munus exercuit, Parochiamque Indorum Antiquiorem S. Josephi pro tempore rexit, ut qui Theologicis, quibus ornatus

erat, doctrinis Mexicani peritiam idiomatis adjugebat. Multas quidem scripsit conciones, edidit autem hoc titulo insignem:

Dei vices pro Aurificibus tenens S. Eligius, Noviomagi Episcopus. Mexici, apud Josephum Bernardum de Hogal 1729. in quarto. Habetur tom. 4. Collectionis nostræ.

† 175 M. FR. ANDREAS DE ALMAZAN, Natione, ni fallimur, Patriaque Mexicanus, Heremitarum S. Augustini in Provincia SS. Nominis JESU Mexicana alumnus, atque in Sacra Theologia Magister, Conventus Regij Priorem agebat, cum Societatis JESU Patres festivâ egregiâque atque omnigenâ pompâ relatum inter Sanctos universæ Familiæ suæ Generalem quondam Præpositum S. Franciscum de Borgia (qui primos in Mexicanam Provinciam Sodales invexerat) ostiduo celebrarent; religiosus in Ecclesiam Domus Professorum sacris Ordinibus, suo quisque die, confluentibus; destinataque pro Augustinianis, è sacro ipse dixit suggestu, atque Oratio ejus unâ cum cæteris ejusdem argumenti edita est:

Concio in Apoteosi S. Francisci de Borgia, Societatis JESU. Mexici, litteris Joannis Ruiz 1672. in quarto.

† 176 ILLMVS. D. D. ANDREAS DE ARCE ET MIRANDA, Natione Mexicanus, in Urbe Huexotzinco Diæcesis Angelopolita-

litanzæ claris sanguine & virtute Parentibus natus est. Educatus ingenuè, ut litteris informaretur Angelopolim translatus, post optimè cultam latinatam in Collegio S. Ignatij cui fuerat addictus, ad S. Ildefonsi Societatis Jesu, Magistris insignè, Philosophiâ & Theologiâ nedum fuisse tinctum, sed verò etiam imbutum, palam fecit, cum ibi publicis concertationibus habitis, & præcipuè universâ scholasticâ Theologiâ, additis aliquibus jurisprudentiæ titulis, per diem integrum propugnârâ, quod non nisi ijs qui eminent inter ceteros, est concessum; tum etiam Mexici, quod se contulit in Universitate laureâ donandus Baccalaureatus: nâ & hic periculo facto doctrinæ, haud vulgarem laudem promeruit; & in Regali S. Ildefonsi Collegio multos inter Trabæ petitores Theologiæ, quæ prævio rigidiori examine publico, digniori tradenda erat, unus ipse reliquis prælatus, & honorem multum à sapientibus habitum, & stipendia, ut inibi studijs incumbere, consecutus est. Tum pro utroque jure funditus addiscendo septennium in Academia posuit sub optimis, quos audivit, Antecessoribus, bona adeo fruge, ut inter casularum Patronos Regij Mexicani Judicij electus fuerit merito. Interea Doctoratum in sacrâ Theologiâ nactus, eximiam Doctorum existimationem obtinuit, quod ejus ubertatem

Facultatis cum multa amceniorum litterarum eruditione altiorique ac puriori latij sermonis elegantia sociaret. Sacris initiatus, Cathedrisque & Canonicatibus petitis egregiâ cum laude, Diocesim suam repetens, quod præter scientiarum, quas diximus, culturam, Linguz etiam Mexicanæ peritiâ, Indorum Paræcijs necessariâ, gauderet, ei quæ à Sancta Cruce dicitur intra Angelopoleos mœnia præfectus est, & in tota ditione Examinator Synodalis creatus. Suo strenuè functus munere, post multa in re litteraria pro Cathedralis Ecclesiæ suæ Canonicatibus emerendis specimen eximie data, pro Concionibus in ea habendis à Catholico Rege electus, dein canonicè institutus; huic totum se munerari obeundo dedit, eruditus juxtâ & christianis insistentibus exercitationibus. Hæc dum edimus ad Episcopales infulas Portudivitensis Ecclesiæ evchitur, pro ut suis nos docent litteris amici Madritani fide quidem dignissimi: Quod verò authentica eadem de re instrumenta opperiamur, nil præterea subjungimus, Nostro interea Dignitatem gratulantes ex animo, cui pristina sumus & intimâ necessitudine conjunctissimi. Alias quamvis asseret Mss Conciones plurimas, tomum publicæ luci dedit in quo 16 omnigenâ refertat eruditione, stilo nutidas, & omnibus ex artis Oratoriæ præceptis instructas dotibus, ac belicè tor-

natas compaginavit hispano sermone, hoc titulo.

Sermones varij. Mexici, in Typographia Regia D. Mariæ de Ribera 1747. in quarto.

Adjectus est libro appendicis loco *Epistola ad Regium data Auditorium Mexicanum pro erigendo Angelopoli Collegio S. Francisci Xaverij, & Jesu Societatis Alumnis tradendo, Indorum spirituali bono invigilaturis.*

Tomus alter argumentis, mole, stylo, & ceteris dotibus prioris gemellus, vix non totus typis jam est excussus, proximè in lucem dandus, eodem titulo.

Sermones varij. Mexici, ex Typographiæ editioni Bibliothecæ Mexicanæ destinata 1754. in quarto. Scorsim autem ediderat.

Cælum ad nostras per Ignatij & Societatis suæ manus deductum. Mexici, typis Viduæ Josephi Bernardi de Hogal 1751. in quarto.

In Schedis habet

Prælectiones Prolusionesque academicas varias.

177 FR. ANDREAS DE AVENDAÑO, Natione Hispanus, ex Provincia Burgenfi Ordinis S. Francisci in Jucatanensem advectus, in eaque Definitoris munere insignis anno 1705. Tomum in folio scripsit, quæ sequuntur Opuscula complectentem:

Dictionarium Linguae Jucatanorum.

Brevius Dictionarium, adverbia temporis & loci ob oculos ponens.

De varijs corporis humani languoribus.

Dictionarium alterum de proprijs

Personarum nominibus, Idolis, Chœreïs, & alijs prisca & enigmatis Indorum Provincia.

Et hæc quidem liber ille in folio habet, duos verò in minori forma alios composuit, scilicet

Artem pro addiscendâ Jucatanensium Linguâ.

Expositionem vaticiniorum, quæ antiqui à suis Indi acceperant.

His quatuor alij adjiciuntur variorum libri, quos ad calcem Dictionarij Authorem ipsum scriptos à se dicere testes nobis sunt ejusdem Provinciæ Sodales litteris ad nos datis.

178 D. ANDREAS BERNAL DE SALVATIERRA, Natione Mexicanus & Patria, Regiæ ejusdem Universitatis Alumnus, Parochus que Ecclesiæ de Iztlahuaca, ut animarum salutis iter agentium, quo erat ipsarum zelo inflammatus, doctrinâque imbutus, Ductorem se præberet, idiome hispano librum in lucem dedit, cui hunc titulum fecit:

Verum iter: Colloquium Dulcissimum inter Jesum & ejus Sponsam animam.

In quo pio & constanti carmine tribus actibus tres spiritus vias, incipientium, progredientium, & perfectorum expendit. Mexici, typis Francisci de Ribera Calderon 1718. in octavo.

179 M. F. ANDREAS DE BORDA, Natione Mexicanus & Patria, Provinciæ Sancti Evangelij Franciscanorum filius, decusque eximium: vir fuit eum in Philo-

phiâ, tum etiâ in omni Theologiâ doctissimus, atque etiam in Jure, præsertim Canonico, versatissimus. Scholasticam multos annos professus altissimè imbiberat, Moralem quoque tam enixè curaverat, ut duos supra viginti in ea & Canonico ac Regulari jure posuisse factus ipse fuerit in proœmio operis pro Confessarijs Monialium instruendis à se editi. Hinc, ejusdem in difficillimis negotijs consilium quærebatur etiâ a Doctis hominibus, multiquè fiebant quæ interrogatus dabat responsa. Nec in Sacrorum Bibliorum studio segnior, operam in eo posuit, doctasque & graves sapientissime habuit conciones. Excelluit verò in Polemicis, & argumentis omnibus, quæ apud S. Inquisitionis Tribunal, pro rerum & librorum mirandâ varietate disquiri solent, eaque propter à Censuris Theologicis fuit, Fideique Quæsitotibus acceptissimus, atque in id negotij labore assiduus. In Provinciâ suâ, quòd plures secundum ejusdem Leges annos Philosophiæ & Theologiæ docendis impendisset, bis Emeriti laurum, & Patris titulum reportavit. Academia verò Mexicanensis alumnus, & in Sacra Theologia Doctor, totos viginti annos subtilissimi Cathedram Scoti Magistri Perpetuus Antecessor ut rexerat, Emeriti etiam honores nactus & privilegia, plurimi jure est habitus: tanti quidem, ut plenus Doctorum Confessus in unum

conspiraverit ipsum, qui Academia nomine Fratris Bethlemis multi ab ipsa quærentibus, & oppidò gravia responderet, opusculo suo atentissimè lecto, suffragantibus universis. Nec à doctrina tantum insignis, sed à religiosæ vitæ exemplis probatissimisque moribus clarus, obijt sepultusque fuit in Cœnobio Ordinis sui Mexico Primario, cunctis religiosis Familijs, & Academico Confessu funus cohonestatibus, gravissimique ac ornatissimi jacturam Magistri dolentibus. Multa quidem scripsit, quorum aliqua typis edita manent, habenturque in pretio, reliqua Mss majorem partem desiderantur. Typis evulgavit conciones vernaculo sermone à se dictas, his nominibus:

Obiectio, reversio, & ad argumentum solutio adversus Christi Domini honorem à Pharisæorum nequitia facti. Mexici typis Lupercianis 1683. in quarto. Legitur tom. 66. Collect. nostræ.

Imago Seraphica Jesu Christi plagati, ab ipso in monte Alvernia in corpore expressa S. Francisci. Mexici, in Officina Viduæ Francisci Rodriguez Lupercio 1688. in quarto. Habetur tom. 96 Collect. nostræ.

Responsum verò, quod Academia nomine, ut diximus, concinnavit, ita habet:

Regiæ ac Pontificiæ Universitatis Mexicana solutio 14 questionibus exhibita, quas RR. PP. Bethlemi-

nica Societatis revulere pro enodatione. Mexici, typis Viduæ Michaelis de Ribera 1708. in folio.

Praxis pro Monialium Confessarijs, seu Dialogus explicandi gratiâ quatuor illarum vota. Mexici, Litteris Francisci de Ribera Calderon 1708. in octavo.

Ex his quæ in Academia è suggestu dictavit, sequentia habemus à libris pro confendis annuis Lectionibus destinatis, quàm casu aut incuriâ multa ex eis prætermissa sunt opera.

Selecta è varijs Theologiæ tractatibus controversiæ.

Disquisitio Theologica de qualitate qualificabilium propositionum.

Commentaria in Quodlibeta Scoti.

Dissertatio de Sacris Apostolorum Canonibus.

Tractatus de Sacramentis in genere.

Tractatus de Fide Theologica, quem nos alios inter discipulos calamo excepimus, Nostri eo tempore audierat.

Fama quamvis sit in Sacra Biblia itidem elucubrations varias elaborasse, quales tamen & quantas nescimus. Pariter latent nos opera alia Theologica & Philosophica, quæ certò certius est condidisse, & si injuriâ temporum non periire, nostris se adhuc conatibus subduxerunt.

180 FR. ANDREAS DE CASTRO, Natione Hispanus, Burgenus Patria, nobilibus Parentibus genitus, atque ritè litteris & christianis moribus institutus,

ubi per ætatem licuit Ordinem S. Francisci in Provincia Conventuque patrijs professus est. Philologiae confectus & Theologiæ curius postquam exegit ibi, Novitiorum præfectus educationi, egregijs religiosæ vitæ exemplis omnique sollicitudine tyrones formavit. Dein Superiorum permisso instauravit Salmanticae studia, quatuor rursus aut quinque annis strenuè positus in quatuor Sententiarum libris, quos à Doctissimo Magistro Fr. Andrea de Vega explicatos accepit, proficiens insimul doctrinâ F. Francisci del Castillo, & Alphonfi de Castro, tribus quidem Ordinis Minorum luminaribus fulgentissimis. Quod verò longè latèque ea tempestate sanctitatis fama volaret nuper apud Mexicanos invectæ Franciscanæ Familix, quæ se totam lucrandis Indorum animabus devoverat, excitatus, ut se Operarijs Evangelicis Noster comitem adderet, unà cum egregio viro Fr. Jacobo de Tettera in Americam nostram transivit anno 1542. Mexicanam gentis Linguam exactissimè didicit, nec minus accuratè *Matlasincanam*, quæ barbara erat & scitu difficillima, coluit, adco ut libros eâ usus utilissimos perbellè confectis, à Mexico Toluam delatus, qua in Urbe illius Nationis homines & in finitimis locis degabant Mexicanos inter Hispanosque multos. Hic porrò ille substituit, annosque quadraginta in

in hac excolendâ vineâ consumpsit.

181 Mirum sanè est quanto laboraverit zelo, quantaque virtute Apostolicum munus obierit. Primus fuit qui barbaris illis suo Evangelium nuntiavit idioma, quod nullus Religiosus calluit ante ipsum, atque ut illos sacro fonte expiaret, ablutosque cæteris Sacramentis foveret, difficile est dictu quanta egerit. Montes adibat sæpè, locaque impervia fere, & pedes semper, nisi in ultima senectute, querendi eos & instruendi gratiâ. Singulis diebus festis tres de more conciones habebat tribus illas Linguis auditoribus varijs accommodatas: primùm *Mexicano*, deinde *Matlasincano*, demum *Hispano* sermone, ut à singulis caperetur agebat: sapillimè sermonibus Missam cum cantu adiciebat, pueros, multos enim verò, sacro abluebat lavacro, mortuos, si qui erant, Ecclesiæ ritu sepeliebat, & ad isthæc omnia Jesus, aquaque contentus, vino abstinebat, quod cum in pretio esset multo, dedecere pauperes, ut erat rigidissimus ejus vocatus, credebat. Sacris suis excursionibus Indos perquirebat monendi de re christiana, & juvandi gratiâ, quorum confessiones sacras audiendo diem multoties totum in agro subdio, ardente nimis Sole, impendebat: eorundem ut corrigeret vitia prætermitebat nihil quod eorum in-

doli opportunum existimabat; cumque gratissimus illis ipse haberetur, minabatur recessurum se ab eis abiturumque ad Mexicanos nisi respicerent. Tum rogare illi, deslere, & multis obfistere, alijs eum complectentibus brachijs, alijs muri instar obstantibus, alijs egredientem in humeros referentibus, & in propria revocantibus. Orationi deditissimus, tempus, quod ab Apostolicis curis supererat, libens ei dabat. Abstinentiam sic coluit, ut semel in die vesceretur. Humilitati addictus Cœnobijs præesse recusavit, vixque, obedientiâ coactus, mensam unum Superiorem egit. Diffinitoribus, ut dicunt, adscriptus Provincia, Apostolicis non propterea se munijs subduxit, quæ in Dei gloriam ad extremum perductis, vivere desit in Conventu de Toluca die 14 Decembris anno 1567. Scripsit *Artem pro Lingua Matlasincanâ perdiscendâ.*

Dictionarium ejusdem.

Sermones pro toto anno, & Doctrinam Christianam eodem idiomate.

Quorum & Authoris meminerunt Arcturus in Martyrologio Franciscano, & Illust. Gonzaga relati à Bibliotheca Franciscana rom. 1. pag. 62. itemque Uvadingus & Nicolaus Antonius: è Nostri Torquemada tom. 3. lib. 20. cap. 65. pag. 539 & seq. editionis Madritanæ 1723. & Betancurtius in Menologio Provinciæ suæ pag. 125. die 14.

182. D. ANDREAS DÍAZ DE RABAGO, Natione Hispanus, in Villa natus de Saldaña in Montanis Legionensibus; apud Philippinarum Insulas, postquam Parochum egit in varijs Ecclesijs Provinciæ dictæ Nova Geræa, Mexicanis Domicilio se adscripsit, & quam dixit è suggestu sacro, edidit.

Orationem panegyricam in honorem S. Annæ genitricis purissimæ Deiparentis. Mexici, apud Hæredes Joannis Josephi de Guillena Carrascoso, 1718. in quarto.

+ 183. ILLMUS. D. D. ANDREAS FERNANDEZ DE HIPENSA, Natione Hispanus, apud Arnedo Villam ortus, Compluti Collegio adscriptus Trilingui fuit, & factis Canonibus operam dedit. Doctoratus verò apicem Abulæ in antiquâ Academiâ suscepit. Illmûm. D. D. Franciscum Manso, Archiepiscopum Mexicanum in Americam contendentem sequutus, ejusdem pro Indorum negotijs Vicarium egit, Judicem que Testamentorum & Piarum causarum, atque ratiocinijs ecclesiastica bona concernentibus instituit. Archipræsule Hispaniam ad tempus petente, tandiu Vicariatu ipse generali Diœcesis potitus est, donec Sedes vacaverit. Redux in Hispaniam, institutus que Tolæranus Fidei Quæstor, mox à Catholico Rege Jucatanensis Episcopus destinatur anno 1643. desuperque à Romano Pontifice Apostolicis litteris ex-

peditis pridie 9 Octobris ejusdem anni, paucis post diebus, Toleti humani exemptus rebus fuit, ut Author est M. Agydius Gonzalez Davila in Theatro Ecclesiæ Jucatanensis pag. 218. Scripserat Mexici degens:

Instructionem brevem pro sacris Confessionibus ritè agendis à cujus que status hominibus. Mexici, apud Franciscum Salvago 1635. in octavo.

+ 184. M. FR. ANDREAS FERRER DE VALDECEBRO, Natione Hispanus, apud Teruelam Aragoniæ Regni Urbem notissimam ortus, Mantuæ Carpentanorum adolescens Prædicatorum Ordini solenni sese professione adstrinxit. Statim eximjis inclarescere cepit animæ dotibus, christianis scilicet & religiosis moribus, ingenio pro litteris nato, multaque cum in Philosophiâ & Theologia laude, tum etiam dicendi facundiâ & peritiâ. Americanis, ad quos devenit, adscriptus Domicilio, in Ordinis sui Collegio S. Ludovici Angelopolitano, seu Tlascalensi, quod, tunc quidem temporis, inter Mexicanæ Sanjacobæ Provinciæ gremia censebatur, moderandæ Theologiæ Cathedræ præfectus, hujus ita partes implevit muneris, ut insimul Ecclesiastes curas minimè prætermiserit, quod apud nostrates frequentissimo in usu est. Varia itidem ea tempestate lucubravit atque edidit opera, quibus plura deinceps adjecti typis in Europa, quò le-

con-

contulit in Hispaniæ Provinciâ reverfus, facile doctissimum invitantibus hominem, non immodicis sumptibus, quem Americani pro editionibus incredibiles deterruerant. Compluti apud Sodales suos annis 1662 & 1664. Moralis Theologiæ professione illustris, multaque aliâ dives eruditione, Magisterij demum laureâ conspicuus fultit, atque in Supremo Hispaniarum Senatu pro rebus Fidei Cenfor adlectus fuit, semperque dicendo è suggestu gratus disertis & eruditis etiam auscultatoribus. Plura quidem & cedro digna scripsit à Criticis Gallis Scriptorum sui Ordinis Historiographis multi habita, & recensita ad annum 1675. tom. 2. pag. 658. Sunt autem hispano illa sermone, quæ subdimus, exordientes à cullis in Americâ nostrâ Authore in ea degente.

Lamentatio Apologetica pro R. P. Abrahamo Bzovio 1650. in quart.

America discrimina & Catholica Religionis erumna. Tlascalæ 1650.

Constructio sacra angustioris Americæ Templi adversus Crommel Angliæ tyrannum. Tlascalæ 1654.

Anticertamen: Musarum æstimationis, & ultio Parnasi contra Paulestram Sacram dictam. Tlascalæ 1655.

Honestæ lachryma justique triplicis status dolores, Ecclesiastici, Religiosi, & Prophani. Tlascalæ 1657.

Orator Catholicus. Matriti, apud Didacum Diaz de la Carrera 1658. in quarto.

Virga vigilans, obligatio & munus ecclesiastici Principis. Matriti, ex Typographia ejusdem Didaci Diaz de la Carrera 1659. in octavo, pro ut extat in Bibliotheca Collegij Maximi Mexicani Societatis JESU. Aliam in quarto editionem Madritanam Critici Dominicani recensent.

Jesu-Christi tormenta. Compluti 1659. in quarto.

Panegyris dicta Congregationi à SS. Trinitate nuncupata. Angelopoli 1651. in quarto.

Regimen generale, morale, atque politicum in feris reperitum & incultis animantibus, ex eorumdem naturis erutum & ingenijs. Matriti, typis Didaci Diaz de la Carrera 1658. in quarto cum figuris. Editio altera ibidem 1668. in quarto.

Atque hæctenus memorata lucem aspexere Nostro agente Angelopoli, quæ subnectimus edidit redux in Hispaniam.

Secunda pars generalis Regiminis moralis & politici in avibus inventi nobilioribus. Matriti 1670. in quarto. Editio altera Madritana est Bernardi de Villa Diego 1683. in quarto, cui accessere additiones variæ & liber 19. à S. Inquisitione emmendatus, cum figuris.

Superior, seu Politica pro omni Prælatorum genere. Compluti, litteris Joannis de Valdes 1664. in quarto.

Clavis aurea æternitatis. Ibidem in quarto.

*Historia admirabilis vite secun-
di Pauli, Valentia Apostoli S. Vin-
centij Ferrerij.* Matriti 1682. in
quarto, & post alias editiones, Va-
lentia, Formis Ludovici de la
Marca 1702. in quarto, & rur-
sus Valentia in Typographia Ar-
chiepiscopali 1729. in quarto.

*Historia admirabilis vite Vene-
rabilis Matris & Inchyta Virginis
Rosa de Santa Maria e Tertio Or-
dine S. Dominici.* Matriti in Offi-
cina Pauli del Val 1666. in quar-
to. Iterum ibi, in Typographia
D. Mariae Rey 1669. in quarto.
Rursus ibi Prælo Viduae Didaci
Diaz de la Carrera 1670. in
quarto.

*Vita Fr. Joannis de Vasconcellos
Ordinis Predicatorum.* Matriti,
mox dictis litteris Viduae de la
Carrera 1668.

Quæ sequuntur Author prælo
parata habebat anno 1664. ut,
ipso teste, Galli Critici sapius
laudati dicunt.

*Pharus sacer, Orator Catholicus,
cum additionibus.*

*Historia Darocæ addita & aucta
vitiis trium Ordinis S. Dominici
Sanctorum ejus indigenarum.*

*Historia generalis Ordinis Predi-
catorum ab anno 1373. ad usque
1670. Tomis 6 grandibus.*

*Problemata Aristotelis moralibus
animadversionibus pro exercitio vir-
tutum.*

Relatis hæcenus à nobis ope-
ribus, præter Panegyrim n. 9 si-
gnatam, quæ enarratores latuit
Gallos, ipsi de Nostro subjun-

gunt: *Hic scriptor inter eos sanè re-
censendus est, qui puriori & elegan-
tiori Lingua Hispana scripserunt,
& utinam Annales Ordinis, quos
post Ferdinandum de Castillo scripse-
rat (nam à Joanne de Lopez scri-
ptos ei saltem raione styli ferunt non
placuisse) typis ederentur, præsertim
quæ dicuntur ab eo scripta de Ge-
nealogia S. Dominici ex antiqua stir-
pe Guzmanica.* Hæcenus illi. Qui-
bus subnectimus similia PP. Bol-
landianorum vota, quorum Epi-
stola sollicitandi gratiâ Mss No-
stri de hoc argumento insertam
gallice in Monumentis Trebol-
tiani de anno 1729. asserunt
Authores Diarj litteratorum His-
paniæ tom. 5. pag. 202.

† 185 D. ANDREAS GOMEZ
DE MORA, Domicilio Mexicanus,
cujus Natio Patriaque incerta
nobis, Doctor in jure, atque in
Regio Mexicco Senatu Fisci Re-
gij Curator, edidit hispano ser-
mone

*Actionem contra D. Franciscum
quendam Turresum Excmo. D. D.
Joanni de Palafox, Pro-Regi ac Vi-
sitatori Mexicco oblatam.* Mexici
tacitis & anno & Typographi no-
mine. In folio. Habetur tom. 26.
Collectionis D. Ludovici de Men-
doza pag. 402.

† 186 FR. ANDREAS DE HER-
RERA, Natione Mexicanus, cu-
jus nos Patria fugit, Ordinis Bea-
tissimæ V. Mariæ de Mercede,
Redemptionis Captivorum Me-
xicæ Provinciæ in Sacra Theolo-
gia Magister, quam ut & Philo-

lo-

fophiam Sodales docuit, reliquit
Mss.

Cursum Philosophicum. Qui ex-
tat in Bibliotheca Primarij Me-
xice Cænobij ejusdem Regij &
Militaris Ordinis, atque in Indi-
ce librorum, qui ibidem servan-
tur, refertur ejusdem Authoris

Tractatus theologicus de peccatis.
† 187 F. ANDREAS A SANCTO
MICHAELE, Natione Mexicanus,
Angelopoli ortus est Parentibus
genere & virtute præclaris D.
Didaco Philippo de Mora, & D.
Maria de Cuellar, insigniumque
liberorum gloriâ illustrioribus,
quorum quatuor JESU Societa-
tem amplexati fuerunt; Noster nu-
dipedis se Carmelitis adjunxit;
alter Præsbyter secularis & Juris
Doctor, Canonicatum, ut dicunt,
Doctorem promeruit Valliso-
leti Michoacanensium; & post
Dignitates inibi obtentas, Præ-
bendam in Metropoli Mexicana;
reliqui duo Matrimonio æquali-
bus sceminis juncti honestè vi-
xere: è filiabus, duæ itidem no-
bilibus datæ conjugibus, altera
monialibus Mexicani Monasterij
S. Laurentij addicta, mirum in
modum virtutibus elaruit, atque
ejus vita typis commissa multis
admirandisque scæter exemplis.

Noster sub optimâ disciplinâ pri-
mos ubi peregit annos, Latinitate
instructus & Philosophiâ, Theolo-
giam in Universitate Mexicæ
audivit, cum ab alijs, tum etiam
à clarissimis viris D. D. Joanne de
Butron, Primario sacre Facultatis

Antecessore, & Isidoro de Sa-
riñana Sacrorum Bibliorum In-
terprete, post Episcopo Goaxa-
censi, quibus usum fuisse Magi-
stris gloriabatur jam senex, ut ab
ipso non semel accepimus. Nec
Theologiam dumtaxat excoluit,
sed etiam Jurisprudentiam, inge-
nio scilicet comparatus ad omnia,
& tempestivè dedito Minervæ la-
boribus. Laureis itaque Academicis
redimitus, Deo ipsum ad subli-
men vitæ statum vocanti respon-
dit, nudipedum Carmelitanorum
Institutum professus, quo in Or-
dine & perfectioris vitæ exem-
plis ita refulsit, ut Præfecturas
egerit in Monasterijs varijs etiam
Mexicano, quod Provinciæ cap-
ud est; & Magisterio positus
trinam Sodalibus Theologiam &
Cathedris dedit, Scholasticam,
Mysticam, & Biblicam, in qui-
bus & in Morali quoque insignis
erat.

† 188 Adhæc in Historia ec-
clesiastica satis doctus, Criticæ
peritus, & Poescos cultor egre-
gius, latinis æque ac hispanis
Musis admodum familiaris, nu-
mineque donatus prompto jux-
tâ & acuro: Præter Principes, &
clariores inter editos Poeticæ Au-
thores, & audierat & legerat in-
signes Mexicanos, quorum, ut
se dabat occasio, epigrammata re-
citabat, ut sæpe colloquentes au-
divimus; ut subinde dolcamus
vita cum excessisse priusquam de
Bibliotheca nostra cogitaremus,
quam auctiorem credimus prodit-